

Procuratorium regis Poloniae

In nomine Domini amen. Noverint universi presentium inspectores, quod nos Casimirus Dei gratia rex Poloniae facimus, ordinamus et constituimus nobiles viros ac fideles nostros, Dominos Spilkonem castellanum nostrum Cracoviensem, Ibigneum prepositum Cracoviensis ecclesiae, cancellarium nostrum ibidem, Petrum castellanum Sandominiensem, Thomam de Zajankaw, et Nymirum dictum à Jandrozka, milites nostros, procuratores et nuntios speciales et omnes in solidum, ad tractandum, incundum, faciendum, et firmandum, concordiam et pacis federa, cum serenissimo principe Domino Joanne rege Bohemiae et comite de Lucembourg, filiisque et heredibus ipsius, super omnibus Ducatibus et terris regni Poloniae, ac ipso regno, quae dictus rex Bohemiae impetit et hactenus impetivit, et hoc de consilio magnifici et serenissimi principis domini et fratris nobis dilecti, Domini Caroli regis Hungariae, vel eorum quos ad hoc de suo consilio duxerit deputandos, sic quod virtute concordiae, et ex presenti mandato nostro nos possint obligare et terras nostras, usque ad valorem triginta millia sexagenarum grossorum Pragensium vel valoris ipsarum, nec non ad obligandum nos, quod facere teneamur per milites et subditos nostros quoslibet et in omni loco, de quo ipsis visum fuerit obstagium, et obligationes quaslibet, et sub penis ac promissionibus quibuscumque, nec non ad faciendas nostro nomine et etiam petendas ac recipiendas pro nobis quaslibet renunciationes, terrarum, Dominiorum, regni et tituli regni Poloniae, sed et fauenda pacta, transactiones et promissa quoslibet, alta et bassa, et generaliter omnia et singula, sine quibus promissa vel eorum aliqua, non possent commode expediri, promittentes pro nobis et heredibus nostris, omnia tra-

ctata

Z Jabloniski

etata, concordata, diffinita, promissa et firmata, seu etiam
ordinata, in premisso et quolibet premisorum, per ipsos fir-
miter habere et tenere, et efficaciter implere, nec non firmare,
ratificare, approbare, et inviolabiliter observare. In
cuius rei testimonium ipsis patentes nostras literas dedi-
mus, nostri maioris sigilli appensione munitas. Actum
in Cracovia in castro nostro, in vigilia sancti Lauren-
tii Levite et martyris. Anno Domini 1335.